

**www.e-rara.ch**

## **De imperio Magni Mogolis sive India vera commentarius**

**Laet, Johannes de**

**Lugduni Batavorum, anno 1631**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: NR 1992

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-39836>

III. De incolarum ingenio, moribus, institutis, & superstitionibus.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

dam mediterraneum, quod ipsi vocant *Masseroor*; in illorum fluentorum fundo Borax concrevit instar coralli, exemptusque inditur in sacculos ex agninis pellibus confutos addito butyro aut oleo, ut melius conservetur.

Denique non deest hic Saccharum magnâ copiâ: uti neque variâ gemmâ *Christallus*, *alabastrites*, *porphyrius lapis*, *jaspis*, *achates*, aliâque, quas incolæ eleganter perpolire norunt; quibus accedunt *adamantes*, & quas vocant *oyos de gato*.

III.

DE INCOLARVM

ingenio, moribus, institutis,  
& superstitionibus.

**I**NCOLAE & indigenæ Indostan olim gentiles fuere, & profani idololatræ, communi nomine *Hindoi* dicti, sed postquam à *Temirlane* subjugati fuerunt, *Mahumetanis* permisti. Præterea hic multi degunt *Persæ* & *Tartari*, multi *Abyssini* & *Armenii*, & pene ex omnib<sup>9</sup> gentibus

tibus Asiaticis aliqui atque adeo ex Europæis. Sunt etiam inter illos aliqui Iudæi, sed contemptim fere habiti.

Indigenæ statura nostratibus æquales sunt & fere erecto corpore, nam pauci aut nulli hic reperiuntur incurvi aut gibbosi. fusco sunt colore & olivastro, nigris capillis, non tamen crispis. Non *amant candidos* aut formosos, quia hunc leproforum colorem esse dicunt, quales inter illos satis frequentes. Plerique Mahumetani, exceptis sacerdotibus quos vocant *Molæes* omnes capillos radunt, præterquam supra labrum superius: omnem comam capitis abradunt, præterquam circa verticem, ubi *cirrum* relinquunt, ut Mahumetes ipso illo in cælum attrahat. Omnes corpora crebro abluunt, & pretioso unguento aut oleo inungunt.

Vestis *marium* & *fæminarum* pene ad eundem modum factæ sunt è *gossypino* panno: tunicæ utrorumque arctæ ac circa lumbos strictæ quas ad genua usque promittunt, sub quibus braccas gestant, ad talos usque demissas; pedes illorum nudi, quibus calceos inducunt apertos, crepidarum instar, ut facilius demere possint quum ædes suas ingrediuntur, nam so-  
lum

lum pro uniuscujusque conditione, aut pretiosis stragulis, quæ hic non minus elegantia quam in Persia texuntur, aut alio viliori tegumento instratum est; cui sartorum in modum insident, quoties aut confabulantur aut cibum capiunt. caput subtili panno, candido aut colorato, involvunt, *Shash* ipsi vocant; nec unquam illud detegunt, quum superiores suos venerantur, sed corpora sua inclinant, & solo prius dextera contacto, eandem supra verticem capitis attollunt, indicantes licere illis quos colunt vel capita ipsorum pedibus premere. æquales se invicem salutantes, barbamprehendunt, & verbis valde opportunis sibi invicem bene precantur, puta *Greeb à Nemoas*, id est, precor tibi orationes pauperum, & similibus.

Fæminæ Mahumetanæ non prodeunt in publicum, nisi tenuioris fortunæ aut impudicæ; capita velant, & capillum à tergo in nodos coactum promittunt: opulentiores plurimis monilibus ornantur; non paucæ quoque unam narium perforatam habent, ut illi cum lubet, anulum aureum cum gemma possint inserere. Præ cæteris mortalibus facillime pariunt, nam non

raro

raro uno die uterum gestant, & altero infantem ulnis gestantes obequitant.

Ædes incolarum fere humiles sunt, & desuper planæ, pluribus fenestris instructæ, quibus auram admittunt, vitra ignorant. præcipua illorum ædificia è lateribus aut vivo saxo constructa sunt: tam in urbibus, quam in pagis, ædes frequentibus arboribus septæ sunt, ita ut è longinquo urbes illorum intuentibus, magis nemora & luci, quam oppida videantur.

Nulla in hisce regionibus sunt diverforia, in quibus itinerantibus necessaria ad victum præbeantur, tantum in majoribus civitatibus atque oppidis ædes quædam sunt, quas vocant *Saray*, non habitatæ, quæ ab advenis occupantur, sed necesse est lectos & reliquam suppellectilem & coquos secum vehere, quibus utantur; uti & tentoria, quæ figunt in illis locis, ubi nullæ ejuscemodi ædes reperiuntur.

Plebei equis, asinis, mulis & camelis vehuntur tam fæminæ, quam mares; aut interdum vehiculis, quæ tantum duos tresve capiunt, & à bobus trahuntur, desuper tantum tecta nisi quum fæminas vehunt, tunc enim  
undi-

undique conclusa sunt: hos boves haud secus curant quam equos, & huic operæ ita assuefaciunt, ut viginti milliaria uno die absolvant

Locupletiores & magnates Elephantis utuntur; aut pallasca (ut vocant) quæ veterum lepticam æmulatur, quam baiuli gestant.

Aucupio & venatu plurimum delectantur: canes illorum nostris venaticis non absimiles sunt, sed minores: etiam leopardos ad venandum cicurant, qui saltu feras assequantur. Aves palustres & fluviatiles miro astu capiunt, nam avis similis illis quas capere proponunt, exuvias infarciunt ita, ut vera avis videatur, & aquam ingressi, totum corpus demergunt, facie solum excepta, quam ave illa factitia tegunt, atque ita inter avium gregem delati, easdem sub aqua pedibus præhensas capiunt.

Sunt & industrii sagittarii, quippe arcus exiguos è bubalorum cornibus artificiosè conglutinant, & sagittas è levibus canis industrie asperant quibus volucres etiam volantes ferire norunt. Domi Scaccorum ludo plurimum delectantur; habent & chartas lusorias sed à nostratibus multum diversas. Luctæ quoque & pugilum spectata-

ſpectaculo animum explent, aut præſtigiatorum, qui angues quosdam circumgeſtant, à quibus ſe morderi patiuntur. Denique ſimiorum & cerco-pithecorum ludibriis valde capiuntur; quos regio hæc innumeros nutrit, candidos & valde agiles, quique avium nidis mire inſidiantur.

In ſingulis majoribus civitatibus & municipiis, fora rerum venalium bis quotidie celebrantur. ſemel paulo ante ortum ſolis, iterumque paulo ante illius occaſum; ubi pleraque omnia pondere veneunt.

Sole feruente domi deſident; opulentiores quoque ſervos ſuos habent qui largis coriaciis flabellis ventum faciunt & aërem refrigerent: uti & chirurgos ſuos qui brachia ipſorum & alia membra agitent ac jaçtent; quod in orientalibus hiſce regionibus eſt uſitatiffimum ad ſanguinem commovendum.

Laudanda autem eſt Mahumetano- rum & gentilium fidelitas, qui peregrinis in itinere ita famulantur, ut tutiſſimo hic paſſim iter agere poſſint; heros ſuos pedites & armati comitantur: horum opera admodum vilis eſt, nam ſingulis lunis præter victũ haud ſupra quinque ſolidos pro mercede accipiunt.

cipiunt. Summam quoque pietatem erga parentes colunt, ita ut ipsi potius fame emori malint quam ipsos egere.

Sunt tam inter Mahumetanos quam Gentiles notę fortitudinis atque audacię; inter quos agmen ducunt Baloches sive Boloches, qui Haiacan provinciam incolunt ad fines Persię; & Patanes in provincia ejusdem nominis in regione Bengalę. Inter varias gentilium sectas, tantum una est natio, Rasbootes vocant latrociniis infamis, qui itinerantes sine discrimine spoliant & crudeliter trucidant; iidem sunt & fortissimi milites: reliqui harum regionum indigenę fere pusillanimes sunt, & magis rixari amant quam pugnare, ita ut Rex dictorio usurpet; unum Lusitanum tribus Indis præstare, & Anglum unum aut Belgam duobus Lusitanis.

Naves quę quotannis Surate solventes Moham in Mari rubro sitam petunt, ingentis molis sunt, sed neglectim structę; & licet plurimis machinis instructę sint, ne sic quidem satis munitę. Singulis interdum mille septingenti homines vehuntur, qui non tam rei faciendę gratia proficiscuntur, quam ut Medinã petant, & Mahumetę sepulchrum venerentur; nam qui

H

hanc

hanc peregrinationem semel absoluerint, deinceps *Hoggei*, id est, Sancti appellantur. Soluit autem hæc navis plerumque mense Martio, & sequenti anno sub finem Septembris revertitur: breviori quidem & duorum mensium spacio iter hoc absolvi posset, sed pluviis mensibus tam sævi ventorum turbines Indico mari incumbunt, ut non nisi cum summo discrimine tum navigetur. Navis hæc vix aliud quicquam præter aurum & argentum revehit, præterquam quod ab aliis quoque regionibus metalla inferantur, quæ rursus exportare capitale est. Aurum autem omne atque argentum sive factum sive infectum, hic liquatur & purificatur, dein numismata Persicis literis inscripta, quæ nomen Regis & dignitatem præferunt, cuduntur: nam auro argentoque hic utuntur absolutissimo.

Vulgare indigenarum idioma ipsis peculiare, facilis admodum est pronuntiationis, scribiturque ab ipsis quemadmodum & apud nos, à sinistra in dexteram. Doctiorum lingua Persica est aut Arabica; sed hi inter ipsos admodum sunt rari, librorum penuriam, quos paucos habent & manuscriptos: licet eo ingenio sint & industria, ut si literatura

ratura accederet, in omni genere scientiarum multum possent præstare.

Habent aliquot opuscula Aristotelis, quem vocant *Aplis*, in Arabicam linguam versa; Avicennæ quoque, qui Samarcandæ natus fuit in ditione *Temirlanis*, artes nonnihil callent. Communes morbi apud illos sunt, dysenterix, febres ardentes, in quibus in ediam tanquam principale remedium suadent; & lues venerea quæ valide hic grassatur. Musica quoque delectantur, plurimamque habent instrumenta, quæ aut fidibus pulsantur aut vento inflantur, sed veram harmoniam merito in illis desideres. Versus componunt ad eundem modum, & rerum gestarum annales perscribunt: Astronomia denique imprimis delectantur; nam Astronomis Rex ita fedit, ut non facile quidquam aggrediatur, nisi hi ante obnuntiarint *faustum* aut *infaustum* fore diem. Sed jam tempus est, ut de ipsorum religione & superstitionibus dicamus.

Incolæ hujus regni (inquit *Texeira*) dividuntur in Mahumetanos & Gentiles; sed harum duarum tertiarum partes fere unius sunt opinionis; licet fere Gentiles omnes sequantur sectam & opinionem Pythagoræ; credunt enim animarum

immortalitatem, illasq; aut præmium aut pœnam consequi per transmigrationem in alia corpora; asserunt enim quum quis moritur, secundum quod bene aut male vixerit, in alterius animalis aut boni aut mali corpus transire; atque inde aut meliorem aut peiorem condicionem nancisci, idq; in infinitum: atque hæc causa est cur vaccas tantopere venerentur, & Legislator illorum Ramak illas ipsis unice commendaverit, quas tanquam numina colunt, quia sunt animalia domestica, utilia, & si bene tractentur (secundum ipsorum opinionem) ad bonas animas recipiendas comparata: præter hanc plures alias habent perabsurdas opiniones. Atque ex illa sequitur, quod summa charitate utantur erga omnes animâtes volatiles & terrestres, & neque illas occidant neque comedant, quia animas credant humanas in illas commigrasse: eousque ut in civitate Cambevat, quam Lusitani vocant Cambayet & Cambayam, publicum hospitale instituerint, in quo curant animalia omnia morbidâ, licet parum aut nihil curent homines: plurimumque expendunt in superstitiosa hæc deliria: quemadmodum. me tum in India agente (inquit  
Texei-

Texeira) in oppido Diu, gentilis quidam Banean nuptias tauri & vaccæ tanta opulentia celebravit, ut decem aut XII millia ducatorum in illas expenderet, ne dicam xxx millia, ut quidam affirmant, quia malo certa & vera scribere.

In regno Guzeratensi, varii sunt ritus & sectæ incolarum; & quod mirum, vix familiam invenias, in qua omnes congruant; alii comedunt carnem, alii nequaquam; alii comedunt quidem, sed non mastant animalia: alii nonnulla tantum animalia comedunt; alii tantum pisces; alii tantum lac & herbas: plurimi etiam blito rubro, vulgari in illis partibus herba, abstinent, quia sanguinem continere credunt, quem ipsis fundere nefas: non pauci quoque & conservis, quia Saccharum albumine ovorum defæcatur. Horarum quoque & temporum observantissimi sunt, adeo ut post solis occasum cibum sumere nefas putent. Denique longe superstitiosius quam ullæ aliæ nationes cæremonias suas diabolicas observant. Indigenæ Guzeratenses sese communi nomine *Vanean* ferunt, Lusitani corrupte vocant Baneanes. Horum licet variæ &

pene infinitæ sint familiæ & sectæ, tamen tres censentur principales, *Ion Kah, Mexery, & Baman*: priores duæ in eo differunt, quod Mexery idola habeant eaq; venerentur, Ion Kah minime, sed unum Deum principium & finem omnium rerum agnoscant & colant: cætera, connubia inter se jungere & cibum una capere non detrectant. *Baman*, quos Lusitani & nostri vulgo vocant Bramenes, in templis sacrificant idolis, præfunt connubiis jungendis & similibus: horum quidam ex eleemosynis viuunt neque tamen ipsis licet in ædibus Baneanum aut bibere aut cibum capere. Possident in meditullio regni *Guseratenfis* peramplam civitatem *Byfantagar*, & plures pagos in ambitu illius, in quibus circiter xxx mill. familiæ ipsorum numerantur; gens olim inops, sed quæ hodie agricultura & animalia pascendo rem familiarem supra fidem auxit. Vnam vxorem ducunt, quamquam & binas habere ipsis liceat (quod non licet Baneanibus;) sed si uxor moriatur, secundam ducere non licet; quum viro mortuo, viduæ ad secundas nuptias transire integrum fit: contrarium observant aliæ sectæ. Nulli autem harum sectarum animalia mactare aut sanguinem

nem fundere permittitur. *Haëtenus è Texeira.*

Reysbuth, Rasbootes vel Raspoother (nam in nomine variant authores) qui à multis seculis oras Indi & regionem adjacentem accoluerunt, sunt gentiles. Arma ipsorum sunt spiculum, gladius, & parma in modum alvearis facta, ita ut & camelis suis in ea potum, & equis far præbeant. Equos habent robustos & agiles, quos nullis feramentis calceatos à primis annis ascendant. Gens est bellicosa, & imprimis fortis & bello aptissima. Marito defuncto vidua sponte rogo insilit, & uno cum ipsius cadavere concrematur; id jam notissimum est.

Hendovvines qui ab Asmere ad arctum & versus Muttan incolunt, itidem sunt gentiles, sed diversis à cæteris institutis; nam neque carne neque piscibus abstinent. Nudi preces suas concipiunt, & cibum capiunt circulo conclusi quem aliis ingredi nefastum putant. fæminas suas inde à prima pueritia annulis argenteis, æneis & ferreis onerant; brachia quoque eburneis, id imprimis decorum putant.

Gentiles qui Golcondæ regnum incolunt, religionem suam implicita

fide hauriunt à sacerdotibus suis, quos vocant *Bramenes* qui nullam aliam rationem illius reddere possunt, quam se à multis seculis à suis majoribus illam accepisse. Credunt antiquitus quidem tantum unum Deum fuisse, qui postea alios quosdam semideos sibi assumerit è mortalibus, qui miraculis aut vitæ sanctimonia inclauerint; his templa sua sive pagodes dicant, & prout cuique allibuerit, divinum cultum exhibent. Animarum quoque immortalitatem & transmigrationem in alia corpora credunt; unde & superstitiose à mactatione omnium animantium abstinent. Homicidia & latrocinia quidem caute vitant, in fraudes tamen maxime proclives. Polygamia permixta quidem, sed non ita usitata, nisi ob coniugum infæcunditatem. Adulteria in fæminis puniuntur; Scortationes tantum modestia reprimuntur; nam cætera hic tribum constituunt certæ familiæ, quæ *Bagovvaro* dicuntur, & corpora sua promiscue vulgant sine ullo pudore aut metu.

*De moribus & studiis incolarum  
è nostrorum relatione.*

Vulgi in hisce regionibus misera admodum condicio est; nam primò mechanici, qui hic quamplurimi sunt, raro ad majorem dignitatem emergunt, nam fere liberos suos eandem artem edocent, quam ipsi exercent; neque uti apud nos unum opus à singulis artificibus absoluitur, sed à pluribus: & mercedem admodum exiguam dietim capiunt, puta quinque aut sex Taccas, id est quatuor aut quinque stuferos nostrates; unde jugiter famelicum ventrem familiari explent victu, quem vocant *Kitsery*, componitur è pisis & pauxillo oryzæ, hæc ita mixta cum aqua foco admovent, & tantisper relinquunt, donec legumina & far humorem omnem ebiberint, hunc cibum fere vesperi calidum pauxillo butyri affuso sumunt; per diem autem eadem pisa, aut alia farra tosta mandunt. Casæ ipsorum humiles & fere è luto aut cespite, stramine desuper tectæ; suppellex admodum rara, aliquot vasa argillacea; lectisternia duo, unum pro viro, alterum pro fæmina, nam conjuges unum lectû hîc occupare

insuetum, mares ubi eos libido inces-  
ferit, foeminas advocant; tegumenta  
& stragula ipsis rara & tantum levia,  
quæ uti commoda sunt quum gravis  
est æstus, ita quum acriter friget, mi-  
seris non multum profunt; frigori  
autem mederi conantur foco ante  
ædes structo, è stercore bovillo sicca-  
to, qui ingentem fætorem intolerabi-  
lemque fumum in oppidis & pagis  
conciliat; intra ædes focum accendere  
ipsis ignotum.

Ministorum & famulorum hîc in-  
gens est numerus, nam nemo est ali-  
cujus notæ, qui non plures alat; ii &  
domi & foris ministeria sua noverunt  
probe, & tam pertinaciter iis inhereant,  
ut nefas putent alterius ministerium  
vel uno digito attingere: li nomini-  
bus sicuti muneribus distinguuntur:  
*Seluidares* equorum tantum curam  
habent; *Billeuvani* carrorum & ar-  
mentorum, quibus trahuntur: *Fraffi*  
tenteriorum & auleorum, quibus tam  
domi quam in itinere utuntur: *Serru-  
uvani* camelorum; *Mahauti* elephan-  
torum; *Zanteles* sive cursores, ii plu-  
mas in capite, duo cymbala cincturæ  
appensa gestant, ad quorum tinnitum  
passus suos metiuntur; plerumque au-  
tem singulis diebus xxv aut xxx cosas  
abso-

absoluunt; horum diligentia ut dominis sæpe commodum, ita ignavia maximum detrimentum solet adferre, præsertim præfectis provinciarum aut oppidorum, qui si in obnunciando ea quæ in provincia geruntur tardiores deprehendantur, Regis gratia excidunt, & muneris sui cum ignominia jacturam faciunt. Cætera ministeria exequi longum esset. Merces horum exigua, nam singulis mensibus tantum tres quatuorve rupias capiunt; emolumenta nonnullorum paulo majora, nam vix quicquam ad usum dominorum suorum emunt, quin paucillum quid sibi à venditoribus indulgeri postulent; dominis quidem haud ignaris, sed qui non satis intelligant, se tanto carius emere.

Mercatorum paulo tolerabilior condicio est, nisi quod si quas conquissiverunt opes, tacite possidere cogantur, obnoxii alioquin delatoribus, qui veris aut falsis criminibus apud Magnates miseros ita infamant, ut tanquam spongiæ exprimantur non sine vitæ discrimine.

Magnatum luxum & dapsilitatem explicare perdifficile est, quum hoc solum dent operam, ut, dum licet, omni genere

genere voluptatum se expleant : summus eorum splendor fere intra gynæcea (*Mahal* ipsis) consistit; etenim tres quatuorve interdum & plures uxores ducunt; quæ singulæ in suo gynæceo separatim degunt cum ancillis suis seu mancipiis magno sæpe numero, pro dignitate aut opulentia: singulis in menses singulos sumtus domestici à marito subministrantur suppellex, amictus, monilia, secundum opulentia aut dilectionis modum.

Maritus autem, prout allibuerit, nunc ad hanc nunc ad illam sub vesperam accedit, jam ante de adventu illius præmonitam: certant illæ inter se maritum laute, magnifice, & amanter excipere; æstivis mensibus benevolentium unguentorum & liquorum copia, qua corpus & vestes illius perfundunt; servulæ pro se quæque annuntur, ut eidem placeant, aliæ muscas flabellis pellunt, aliæ manus pedesque illius fricant, aliæ cantillant & musica pulsant instrumenta, aliæ denique choreas agunt: uxor confidet juxta maritum, summa modestia nutus illius omnes observans, nec aliter quam Dominum ipsum vocans; omnis generis delicias

delicias ipsi exhibens, imprimis confervas ex ambaro, margaritis, auro & opio (Mostory & Folony vocant) ut veneris appetitum augeat: vinum quoque largiter ministrans, donec aut obdormiscat, aut lectum cum ipsa petat: Fit autem non raro, ut in unam è servulis oculos conjiciens maritus neglecta conjugē, amplexus illius occupet; quam injuriam marito præsentē callide licet conjux dissimulet, tamen postea in servula ulcisci ubi datur occasio, minime negligit. Singulis uxoribus aliquot Eunuchi dantur à maritis custodes ita tamen ut non raro ovem lupis committant, tanta est fæminarum impudicitia, & horum quoque eviratorum improbitas; quo fit ut fæminæ hæc Eunuchos hosce haud secus colant & molliter curent, quam maritos suos. *Ædificia* magnarum admodum ampla sunt; multaque habent atria & conclavia; cæterum secus solum tantum; tecta fere plana sunt, ut vespertina aura se oblectent, in areis habent stagnum, & arbores ad æstum evitandum. Cæterum parietes sine calce coagmentati facile se inclinant, nec ævum ferunt, hos calce prius obductos, gypso quodam è viva calce, lacte, gummi &

Saccharo temperato, tanta industria incrustant, & poliunt, ut speculi instar resplendeant. Suppellex præterquam in gynecæis rara, ubi magnam vasorum aureorum & argenteorum videre est copiam: In atriis virorum, præsertim ubi consistunt, (divan gena vocant hoc conclave) aulæa Persica sternuntur, quibus insidentes suos & alios ad salutandum admittunt; salutatio (Selam vocant) fit humili corporis inclinatione, & dextra supra caput sublata, ab inferioribus; à paribus tantum corporis inclinatione. Admissi pro dignitate certo ordine ad utrumque latus collocantur: inter sermocinandum summa utuntur modestia, morum magistros dicas, neque vociferantur, aut manibus gesticulantur: si quid alteri dicere necesse est, quod ab aliis audiri nolunt, peplum ori admovent, ne halitum alterius hauriant. Responsum nacti ad id quod quærebant, discedunt, præter amicos aut familiares (qui manent, donec dominus ædium consurgat, aut ad cibum capiendum discedat:) aut invitatos, in aulæo humi sparso insident, singulis autem à Dapifero (Zattersu appellant) suus discus & portio ciborum, (qui

(qui exquisiti ut plurimum & multo butyro conditi, cum pauxillo aromaticum) apponitur, mappas & mantilia ignorant, digitis tantum cibos contrectant, sinistra uti aut digitos lingere indecorum ipsis: potum nullum usurpant, nisi postquam jam cibos capere absolverint. Hæc communis & usitatissima ipsorum vivendi est ratio. Quod autem de fœminarum impudicitia & luxuria diximus, haud ita intelligendum est; tanquam nullæ hic essent pudicæ, sed adeo paucæ sunt illæ, ut numero aliarum obscurentur.

IV.

DE REGIMINE  
politico & civili.

**I**MPERATOR harum regionum, princeps plane est absolutus: nullæ hic scriptæ leges; principis voluntas pro lege habetur; semel singulis septimanis sedet pro tribunali, auditque patienter omnes causas tam civiles quam criminales, easque terminat iudicio plane irrevocabili: pœnæ quoque capitales